Quelle: https://manuscripta.at/?ID=908
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

ymagine apostolorum exhiberi precepit. Quam imperator aspiciens ingenti clamore cepit dicere ipsos esse quos uiderat. nec debere iam episcopum differre ostensionem piscine. quam per istos saluti sue ostensam memorabat. Tunc sanctus siluester dixit ad eum. Audi me rex. et saluti tue piscinam necessariam hoc ordine require. ut primum credas christum filium dei. ideo de celo uenisse. et inter homines conuersatum esse. ut istam piscinam credentibus manifestaret. Piscina enim hec omnis aqua est. siue maris siue omnium stagnorum. Tanta enim uirtus est nominis dei. ut ad inuocationem eius uniuersa peccata abluat et salutem conferat. quam fides credentis exposcit. sed ut manifestetur tibi ita esse ut memoro. confitere te modo per ignorantiam errorem passum. ut christianis persecutionem indiceres. et ipsum te saluatorem corporum et animarum non solum credendo sed et loquendo pronuncia. et his dictis ingredere termas palatii tui. ut dum tu intus calore uteris. ego foris mysterium christi in piscina inuocem. et te egressum de calore aqua sanctificata suscipiat credentem in deum patrem et filium et spiritum sanctum. Tunc constantinus imperator dixit. Constat omnes culturas homines inani superstitione diligere. nec posse ibi diuinitatis gloriam inueniri. ubi men